

des in Historia Cataloniae lingua Hispanica scripta lib. 6. cap. 46. dum de Ilerdensi Concilio verba facit. Quapropter de duobus illis Conciliis Ilerdensi, & Valentino nihil in praesentia dicam, sed ea juxta ordinem Chronologicum, cui restitui debent, infra opportunius recenserebo.

(a) P. Joannes Hyacinthus Sbaralea Ord. Min. S. Francisci, quos Conventuales vocant, in suo opere de sacris pravorum ordinationibus typis Florentinis excuso an. 1750. diligentia opera discutendam sibi proponens seriem & Canones Conciliorum Arelatensium saecul. VI. ita rem totam conficit quae VI. Ponit ille, ratamque habet adnotationem in cap. prima adnotatio dist. XVI. a Gratiano relatam, vetustissimam esse, & ab auctore ejusdem vel sequentis saeculi scriptam. Ibi vero trium Conciliorum Arelatensium praeses, seu Canonum auctor statuitur S. Casarius Arelatensis, eademque sub S. Casario Concilia habita censet inter annum 502. & 542. quo S. Casarius obiit. Igitur, eo Judice II. III. & IV. Arelatensis, I. II. III. S. Casarii, respondent in editis Concilio Arelatensi II. IV. de tertio vero in editis nulla mentio recurrit. Inter tres haec Synodos distribuit Cl. Auctor Canones, qui in editis Canonibus Concilii II. Arelatensis intermiscuntur, sicut & singulis attribuit eos etiam Canones, quos Gratianus aliique veteres collectores Synodis Arelatensibus, sed nullo assignato numero vel etiam cum nota numerali Arelatensis III. afferuntur. Ita ex Gratiano Arelatensis II. quae prima est sub Casario dat Canones XXXVII. rejectis iis, qui sub regularum nomine apparent nunc editi, & in Codicibus MSS. ut in vetustissimo Parisiensi, teste Harduino, nequaquam apparent. Synodus quarta, in editis S. Casarii secunda, quatuor tantummodo Canones offert in excusis; sed illi etiam assignat Canones, quos Gratianus recitat ex Concilio Arelatensi III. sicut etiam quos ex eodem Concilio habet Martinus Bracharensis.

Demum Synodus Tertia sub S. Casario suos habuit Canones XI. ut ex eadem adnotatione constat, sed quinam sint in tanta Canonum confusione, qui ex Arelatensi Concilio, nullo adjecto numero notantur, ignorari profitetur. Non improbabile tamen censet Canones illos, quos ex Codice S. Idavonis vetustissimo, tanquam Arelatensis Concilii dedit Labbeus, eidem assignandos esse, sicut ascribi posse judicat geminos illos Canones Arelatenses, quos ego e manuscripto Lucensi protuli in supplem. ad Concil. Duo tamen hic a me adnotanda occurrunt: in Codice Vaticano 1342. vetustissimo illo quidem, & saeculi, quantum ex ejus inspectione judicavi, IX. hanc ipsam adnotationem extare, quae paulo aliter sonat ac legitur in Gratiano, nam post Arelatensem primam, sic de aliis legit: *Alia Arelatensis, cujus auctor fuit Casarius Arelatensis Episcopus XVIII.*

Patrum. Alia Arelatensis XIX. Patrum. Alia etiam Arelatensis XVIII. Patrum, ubi Casarius praedictus fuit. Geminæ hic igitur Synodi Arelatenses sub Casario commemorantur. Viderit igitur Vir doctissimus quid ex ista adnotatione inferri possit.

„ Addatur adnotationem persimilem reperisse etiam Dacherium in MS. Cod. Remigiano, annorum, ut ipse censet, 800. nec ibi pariter, nisi Arelatenses geminæ expressæ sub S. Casarii nomine exhibentur. Vide Spicileg. tom. I. pag. 507. nov. edit.

„ Quandoquidem vero Vaticana adnotatio a me olim lecta, nondum evulgata est, juvabit hic eam recitare, quemadmodum mihi descripti.

„ *Ancyritana Synodus XVIII. Patrum, cujus auctor fuit Vitalis Antiochenus Episcopus. Neocaesariensis, in qua XIV. Canones a Patribus XVII. statuti sunt. Gangrensis contra Eustathium, qui dicebat neminem posse salvari, si non renunciaret omnibus. Sardicensis ubi fuit Osius Cordubensis Episcopus LX. Patrum. Antiochena, cujus auctor Eusebius Palaestinus Episcopus XXX. Patrum. Laodicensis XVII. Patrum, cujus auctor Theodosius Episcopus. Carthaginensis CCXVIII. Patrum, ubi fuit P. Augustinus. Africana CCXXXIV. Patrum num. CV. sancta Aurelii Episcopi firmata sunt sub Theodosio Majore (sic) Augusto. Aurelianensis I. cui praesedit, Deo mediante, Silvester Papa temporibus Constantini. Alia Arelatensis, cujus auctor fuit Casarius Arelatensis Episcopus XVIII. Patrum. Alia Arelatensis XIX. Patrum. Alia etiam Arelatensis XVIII. Patrum, ubi Casarius praedictus fuit. Arausicana XVII. Patrum, cujus auctor fuit Hilarius. Alia Arelatensis XVII. Patrum, cujus auctor fuit Sarpidus Arelatensis Episcopus. Euphanensis XXVII. Patrum LX. Canonum, ubi praesens Casarius fuit. Aurelianensis LXXII. Patrum, cujus auctor fuit Aurelianus Arelatensis Episcopus. Alia Arelatensis XXII. Patrum, cujus auctor fuit Melianus Episcopus Redonensis.*

„ Cernat vir doctissimus nihil hic haberi de tribus Aurelianensibus sub Casario, nihil de Canonibus eisdem assignatis a Gratiano, quem alioqui scimus nonnulla dedisse a se, vel a collectoribus ante ipsum interpolata.

D. Nullam hactenus mentionem fecisti de Conciliis, quae sexto Ecclesiae saeculo contra Semipelagianos fuisse celebrata, in nostris praecedentibus colloquiis memini, te jam observasse.

M. Recte & apposite mones. Nam de Conciliis sexto Ecclesiae saeculo contra Semipelagianos celebratis hic breviter disserere, ordo Chronologiae postulat. Doctrina itaque Semipelagianorum, quae in quinto Ecclesiae saeculo propter multos eruditione & pietate viros, qui ei adhaerebant, damnata non fuerat, ac subinde citra fidei crimen licite ac libere fuerat defensa, tandem anno DXXXIX. in Synodo Arausicana II. quam Secundis Apostolicae auctoritas approbavit, penitus explo-

plosa ac rejecta est. Haec autem Synodus coacta est a Casario Arelatensi Episcopo occasione Basilicæ a Liberio Patricio constructæ, & in ea conditi sunt Canones viginti quinque, quibus Semipelagianorum sententia condemnata sunt, ita ut abique Hæreseos nota a quovis deinceps propugnari haud potuerint. Cassiani & Fausti sententia proscriptæ sunt. Fidei initium esse donum Dei decernitur Canone quinto. Gratiam non dari petentibus, quærentibus, pulsantibus, sed dari potius ut velimus, & petamus, & quæramus, & pulsemus, definitur Canone sexto. Adjutorium Dei Sanctis semper implorandum, quo possint in bono perdurare, ac subinde perseverantiam esse Dei donum, sancitur Canone decimo. Demum, humani arbitrii adversus divinam gratiam tumor eliditur Canone XXII. his verbis; *nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum*. Hi Canones ex Divi Augustini verbis ac sententiis constati, a Bonifacio II. Summo Pontifice fuerunt approbati. Quibus tamen cum Semipelagiani acquiescere nollent, Sanctus Casarius Valentiam in Gallis Synodum eodem anno indixit, ut frequentioribus suffragiis Catholica de Gratia Christi doctrina approbaretur. Huic Synodo Valentianæ Sanctus Casarius adversa valetudine praepeditus adesse non potuit, ejus tamen vices pro divinae gratiae defensione strenue sustinuit Cyprianus Episcopus Colonienensis, qui, ut legitur in vita Sancti Casarii: *Omnia, quae dicebat, de divinis utique Scripturis firmam, & de antiquissimis Patrum Constitutionibus probant, nihil per se in divinis primitus Dei gratia præveniente vocatus*. Hujus Synodi Valentianæ Acta perierunt. Tandem Sanctus Casarius eodem anno DXXXIX. Vasionensem, seu Vasionensem II. Synodum celebravit, in qua decem confederunt Episcopi, & quinque Canones Ecclesiasticam disciplinam spectantes conditi sunt.

D. Perge, si placet, alia juxta ordinem Chronologicum recensere Concilia Nationalia & Provincialia, quæ sexto Ecclesiae saeculo fuerunt convocata.

M. Anno DXXXI. habitum est in Hispania Concilium Toletanum II. regnante in Hispaniis Amalario Wisigothorum Rege, non vero Theude, ut quibusdam Scriptoribus per errorem obrepit. Legitur quippe Canone quinto illius Concilii: *Gratias agimus Omnipotenti Deo, deinde Domino nostro glorioso Amalario Regi*. In hoc Concilio quinque Canones editi sunt, quorum tertius Clericis celibatum districte præcipit, & quartus sanguineorum matrimonia vetat. Inter Episcopos adfuit huic Concilio Sanctus Justus Episcopus Urgellitanus, cujus superest Tractatus in Cantica Salomonis, qui in Bibliothecis veterum Patrum fuit insertus.

Anno DXXXIII. Concilium Aurelianense II. præcepto trium Regum Francorum, ut in illius præfatione legitur, convocatum est: *Cum ex præceptione gloriosissimorum Regum in Aurelianensem Urbem convenissemus*. Ex omnibus tamen Franciæ Provinciis non fuit coactum istud Conci-

limum, sed tantum ex quatuor Provinciis Lugdunensibus, & e tribus Aquitanis, sicut subscriptiones demonstrant. Interfuerunt Episcopi xxvi. & Presbyteri v. a totidem Episcopis missi, Canonesque xxi. conditi, in quibus multa circa ordinationem Episcoporum, & Presbyterorum, circa ordinationem Diaconissarum, quæ omnino prohibetur, circa honestam Clericorum vitam, & Abbatum erga Episcopos obedientiam, necnon circa alia Ecclesiasticæ disciplinæ capita decernuntur.

Anno DXXXV. Concilium Arverrense habitum est, ad quod ex solis Theodeberti Francorum Regis ditionibus conveniunt Episcopi quindecim, ex quibus quatuor in Martyrologio Romano coluntur, videlicet Gallus Episcopus Arvernensis, Gregorius Episcopus Lingonensis, Hilarius Episcopus Gabalitanus, & Nicetius Episcopus Treverensis. Sexdecim in Concilio in rem disciplinæ Ecclesiasticæ conditi sunt Canones, quorum septimus vetat, corpus Sacerdotis, cum ad tumulum esset, operorio Domini Corporis obvolvitur, ne, dum honorantur Corpora, Altaria pollutantur.

Anno DXXXVIII. Concilium Aurelianense III. juxta Consulatus notam, quam ex probis monumentis restituit doctissimus Sirmondus in Concilio Gallicanis, congregatum est. Ei interfuerunt Episcopi undeviginti cum Presbyteris septem ex diversis partibus Franciæ, cui tum temporis tres Reges Childebertus, Clotarius, & Theodebertus dominabantur. Triginta tres Canones in hoc Concilio editi sunt, de quibus legendi Cl. Coinctius Congregationis Oratorii Presbyter in Annalibus Ecclesiæ Francorum ad annum DXXXVIII. num. IX. & sequentibus, & Natalis Alexander in sexto Ecclesiae saeculo.

Anno DLI. coactum est Concilium Barcinonense, in quo decem editi sunt Canones, qui publice poenitentes spectant. Hos inter Octavus obligat eos, qui in infirmitate poenitentiam, & a Sacerdote accipiunt, ad eam peragendam si postea convaluerint, ita ut a communione abstineant, donec integram & sceleris puram vitam illorum Sacerdos probaverit.

Anno DLI. Celebratum est Concilium Aurelianense IV. cui ex tripartito Franciæ Regno, Childeberti nimirum, Clotarii, & Theodeberti, interfuerunt Episcopi xxxviii. cum Presbyteris XI. & Abbate uno, qui totidem Episcoporum nomine interfuerunt. Conditi sunt in eo Canones XXXVIII. quibus praecedentium Synodorum Decreta fuerunt confirmata, & aliquot alia addita.

Anno DLI. Concilia Ilerdense, & Valentianum in Hispaniis habita fuerunt, sicut supra ex Cardinali de Aguirre jam observavi. In utroque Concilio egregia Decreta ad instaurandam Ecclesiae disciplinam condita sunt. In Concilio Ilerdensi sexdecim Canones a novem Episcopis, & in Concilio Valentino Canones tantum sex a totidem Episcopis conditi sunt.

Anno DLIX. Synodus Aurelianensis V. ex tripartito Franciæ Regno, sicut Episcoporum,

rum, qui ei interfuerunt, subscriptiones demonstrant, indicta est; licet in præfatione illius Concilii unus tantum *Childebertus* Rex a Patribus laudetur, quia Aurelianensis Civitas in ditione *Childeberti* sita erat. Condidit hæc Synodus Canones viginti quatuor, qui præcedentium Conciliorum Canones confirmant, vel illis quædam addunt, aut explicant. Ex his xxiv. Canonibus Concilii Aurelianensis quinti fuerunt sexdecim approbati in Synodo Arvernensi II. quæ paulo post Aurelianensem quintam fuit in Regno *Theodebaldi* etiam Francorum Regis celebrata. Hujus Synodi Arvernensis II. non meminit quidem *Baronius*, sed post illius mortem *Sirmondus* eam inter Concilia Gallicana publicavit. Synodo Aurelianensi V. subscripserunt Episcopi L. & XXI. vel Presbyteri, vel Archidiaconi, vel Diaconi, vel Abates a suis Episcopis directi. Decem Episcopos ex his, qui isti Concilio interfuerunt, Sanctorum fastis adscribunt Ecclesiasticæ tabulæ, videlicet *Albinum* Episcopum Andegavensem, *Agricolam* Episcopum Cabilonensem, *Aurelianum* Episcopum Arelatensem, *Gallum* Arvernensem, *Eleutherium* Altifiodorensem, *Sacerdotem* Lugdunensem, *Leobinum* Carnotensem, *Lautonem* Constantinum, *Firminum* Utricensem, *Nicotium* Treverensem. Præterea, Trajectenses colunt *Dominianum*, Bitoricenses *Desideratum*, Lingonenses *Tetricum*, Burdigalenses *Leontium*, Eduenses *Nestarium*, Viennenses *Eutychium*, Nivernenses *Aregium*, Ebreundenenses *Gallicanum*, Lugdunensis *Genebaldum*. (a)

(a) Concilium hoc Arvernense approbavit, utique Canones Aurelianensis V. non XVI. tantummodo, at omnes, uno excepto Canone XXII. in quo de reddendo seruo ad asylum Ecclesiæ, confugiente. Nec vero tradit *Sirmondus* omisum esse in Arvernensi Canonem XV. Aurelianensem, in quo de *Xenodochio* Lugdunensi. Hæc omnia me docuit Synopsis vetustissima Codicis mei Lucani, quæ sub titulo *ex Concilio Arvernensi* Canones omnes Aurelianenses exhibet uno excepto ut jam admonui. D. Maxima profecto commendatione digni sunt Galliarum, Hispaniarumve Antistites, qui, doctrina, & sanctitate insignes, nihil secundum Deum antiquius habuerunt, quam ut Synodos ad conservandam Ecclesiæ disciplinam frequenter colligerent. Nec dubito, quin alia Concilia Provincialia, præter ea, quæ hæcenus enumerasti, sexto Ecclesiæ sæculo celebrarint.

M. Ita est; multa alia, præter ea, quæ huc usque recensui, Galliarum, & Hispaniarum Antistites sexto Ecclesiæ sæculo Concilia Provincialia celebrarunt, quæ hic breviter, ne tibi fastidium ingeram, ordine chronologico indigitare pergam.

Anno DLII. Concilium secundum Parisiense: ut optime observat *Carolus Cointius* in Annalibus Ecclesiæ Francorum, fuit convocatum, non vero anno DLV. sicut novissimi Conciliorum Collectores notant. Constat enim *Firminum* Utricensem Episcopum, qui huic Synodo subscripsit, obiisse anno DLIII. habitum est istud Concilium in castra *Saffaraci* Episcopi Parisiensis, qui de gravissimi

mo crimine accusatus, propriaque confessione convictus, merito secundum sacros Canones Episcopatu amotus in Monasterium detrusus fuerat; denuo itaque in hoc secundo Parisiensi Concilio discussa & dijudicata *Saffaraci* causa, viginti sex Episcopi, ex quibus complures in Sanctorum numerum fuerunt relati, illius exauctorationem approbarunt, & in ejus locum *Eusebium* subrogarunt.

Anno DLIV. Concilium Arelatense V. a *Savaudo* illius Urbis Episcopo indictum, & ex Codice MS. Lugdunensi primo in lucem ab erudito *Sirmondo* datum est. Ex Provincia Viennensi, & ex duabus Provinciis finitimis, scilicet *Narbonensi* II. & *Alpium Maritimarum* convocatum est istud Concilium, & in eo septem conditi sunt Canones, quibus disciplinæ tum Ecclesiasticæ, tum Monasticæ optime consultum est.

Anno DLVII. habita est, regnante in Galliis *Childeberto*, Synodus Parisiensis tertia, quæ decem condidit Canones, eique interfuerunt quindecim Episcopi, ex quibus Martyrologio Romano inscripti sunt, *Pretextatus* Rotomagensis, *Euphronius* Turonensis, *Germanus* Parisiensis, *Samson* Dolensis in Armorica, cujus vitam ab auctore anonymo ipsi cœvo scriptam doctissimus *Mabilionius* sæculo I. Benedictino publicavit. Præterea, *Burdigalenses* *Leontium*, *Nanneteses* *Felicem*, & *Carnotenses* *Caletricum*, venerantur.

Anno DLX. Concilium Bracarense primum in Hispaniis regnante *Theodemiro* Suevorum Rege, habitum est; in quo confidentes Episcopi omnia Capitula, quæ contra *Priscillianum* Hæresiarcham, ejusque Hæresim in præcedentibus Conciliis jam constituta fuerant, relecta, & approbata sunt. In eo etiam Ecclesiastica disciplina viginti duobus Canonibus sancita est. Inter Episcoporum subscriptiones legitur, *Martinus* Episcopus subscripsi, qui alius non est, quam *S. Martinus* Episcopus Damiensis, qui postea creatus est Metropolitæ Bracarensis, eoque nomine Concilio Bracarensi II. subscripsit anno DLXXII.

Anno DLXVII. seu anno sexto *Guntramni* Galliarum Regis, coactum est Concilium Lugdunense II. ex solis ditionibus *Guntramni* Regis, sub *Nicetio* Lugdunensi Episcopo, in quo conditi sunt Canones sex, eique subscribere sua, vel etiam Vicariorum manu, Episcopi quatuordecim, quos inter tabulis Ecclesiasticis inscripti sunt *Nicotius* Lugdunensis, *Agricola* Cabilonensis, *Syagrius* Augustodunensis. Colitur etiam *Eoladius* a suis Nivernensibus. Eodem anno peractum est Concilium Turonense II. ex solis ditionibus *Cariberti* Galliarum Regis, sicut ex præfatione istius Concilii colligitur. In eo editi sunt viginti septem Canones, quos perdocte explicant *Carolus Cointius* in Annalibus Ecclesiæ Francorum, & *Natalis Alexander*, in sexto Historiæ sæculo. Subscripserunt huic synodo Episcopi novem ex tribus Provinciis Lugdunensibus, secunda, tertia, & quarta. Aliquot ex illis Episcopis, qui huic secundo Concilio Turonensi subscripserunt, in Sanctorum numerum fuerunt relati, vel in suis Ecclesiis coluntur ut Sancti.

Anno

Anno DLXIX. celebratum est in Hispania Concilium *Luense*, in quo lecta est Epistola *Theodemiri* Regis Hispaniarum, hortantis ut plures in Gallæcia instituerentur Diœceses, ac præterea, ut præter unam Metropolitanam Sedem, *Bracarensem* scilicet, alia designaretur. Quod & factum est. Sedes enim *Luensis* erecta est in Metropolim. Nunc tamen *Luco*, seu *Lucus*, hodie *Lugo* tantum est Episcopalis Sedes Metropolitanæ Compostellano subdita.

Anno DLXXII. ex utraque Gallæciæ Metropoli, *Bracarense* nimirum & *Luense*, congregatum est Concilium *Bracarense* II. in eo decem editi sunt Canones, quibus Episcoporum officia in sacra Vistatione præscribuntur, ipsisque prohibetur, ne munera pro ordinationibus sacris, pro *Chrismate*, pro consecratione Ecclesiarum, & pro Baptismo quidquam exigant. Decernitur quoque, quosdam Sacerdotes depositione plebendos esse, qui antiquo *Priscillianæ* Hæreseos fœtore affliti oblationem in Missis pro Defunctis non jejuni consecrabant.

Anno sequenti, seu DLXXIII. indicta est Synodus Parisiensis quarta, de qua agit *S. Gregorius* Turonensis lib. 4. cap. 42. Ad hanc convenere xxii. Episcopi cum uno Presbytero ab Episcopo Aurelianensi misso. Rursus Anno DLXXVII. Parisiis habita est Synodus, quæ est Parisiensis quinta, in qua accusante Rege *Chilperico* Sancti *Pretextati* Episcopi Rotomagensis falso accusati, quod *Meroveo* filio rebelli ejusdem Regis favisset, causa discussa est. *Pretextatus* ab Ecclesia pulsus, custodia traditus, e qua cum fugeret nocte, gravissime cæsus in Insulam prope Constantiam est relegatus, subrogato in ejus locum *Melano*, cujus meminit *S. Gregorius* Turonensis lib. 7. Hist. Francorum cap. 19. Martyrio tandem anno DLXXXVI. coronatus est *Pretextatus*, agente *Fredegunde* Regina, altera *Jezebele*, quam *S. ille* Martyr ad meliorem frugem reducere frustra tentaverat, sicut ex *S. Gregorio* citato *Baronius* narrat.

Anno DLXXXIII. celebratum est Concilium Lugdunense tertium, in quo conditi sunt sex Canones, quibus ea, quæ de mulieribus extraneis a Clericorum societate repellendis, de Puellis Deo consecratis, quæ a Monasterio recedunt, & de incestis matrimoniis, prisca Canones sanxerunt, renovantur & approbantur. Eodem anno coactum est Concilium *Matifconense* primum e ditionibus *Guntramni* Galliarum Regis, & in eo undeviginti conditi sunt Canones, quibus priorum Conciliorum decreta de continentia & modestia Clericorum, de illorum causis, de pœnis infligendis Judæis, qui Christianis insultarent, renovantur & confirmantur. Alterum etiam Concilium *Matifconense* convocatum est anno DLXXXV. in quo conditi sunt viginti Canones, quos doctissimus *Carolus Cointius* in Annalibus Eccl. Francorum ad annum DLXXXV. & *Natalis Alexander* in sexto Ecclesiæ sæculo summarie explicant. Paulo post duo illa Concilia *Matifconensia*, *Aunacharius* Altifiodorensis Episcopus cum Abbatibus & Presbyteris suæ Diœceseos celebravit Synodum *Alifiodorensis*, in qua editi sunt Canones quadragin-

ta quinque, quorum plerique Synodorum præcedentium, præcipue *Matifconensium* decreta renovant. Invehitur etiam hæc Synodus Canone I. in eos, qui Gentilium more Kalendas Januarias prophanis ritibus, epularum luxu, spectaculorum infania, & aliis id genus abominandis superstitionibus contaminabant.

D. Hæc sunt igitur omnia Concilia Nationalia & Provincialia, quæ sexto Ecclesiæ sæculo in Galliis & in Hispaniis fuerunt celebrata?

M. Hæcenus quidem recensui omnia Concilia Nationalia & Provincialia, quæ sexto sæculo in Ecclesia Gallicana fuerunt celebrata. At supersunt septem alia Concilia Provincialia, quæ in Hispaniis, sive in ditionibus *Reccaredi* religiosissimi Hispaniarum Regis habita sunt, de quibus hic breviter me expediam. Anno DLXXXIX. *Reccaredus* Leovigildi filius Rex Gothorum & Hispaniæ, ejurata cum suis Gothis Ariana Hæresi ad fidem Catholicam conversus *Toletanam* tertiam Synodum congregavit, eique, teste *Joanne Biclariensi*, interfuit, ut ea quæ ad abolendam penitus in suo Regno Ariana Hæresim, quæ in eo diu grassata fuerat, & ad Catholicam fidem propugnandam necessaria erant, sanctis Canonibus optimisque decretis sancirentur. In hac itaque *Toletana* tertiam Synodo scripti sunt Anathematismi XXIII. quibus omnino profligatur Ariana Hæresis, & totidem Canones ad restaurandam Disciplinam Ecclesiasticam conditi sunt, quibus subiecitur Editum ejusdem Regis *Reccaredi* de confirmatione Synodi, quæ omnia concluduntur Homilia *Sancti Leandri* Episcopi Hispanensis in laudem Ecclesiæ ob Gentis Gothorum ad fidem Catholicam conversionem. Eodem anno DLXXXIX. sub *Reccaredo* Hispaniarum Rege, cui tum Provinciæ *Narbonensis* ora parebat, habitum est Concilium Provinciale *Narbonense*, cui octo adfuerunt Episcopi, & quindecim in eo editi sunt Canones, quibus Disciplinæ Ecclesiasticæ optime consultum est. Hoc autem Concilium *Narbonense* ideo sub *Reccaredo* Hispaniarum Rege, & non sub Francorum Regibus fuit celebratum, quia *Gorhi* a *Clodoveo* Rege e Gallia ejecti, & in Hispaniam compulsi, Provinciæ *Narbonensis* oram maritimam sua in potestate retinuerunt usque ad tempora *Caroli Martelli* Galliarum Regis, qui, devictis Gothis, Provinciam *Narbonensem* Francorum Regno armis adiecit.

Anno DXC. regnante in Hispaniis *Reccaredo* celebratum est a *S. Leandro* Hispanensi Episcopo cum Antistitibus Provincialibus Concilium Hispanense I. in quo tres conditi sunt Canones, qui missi sunt ad *Pegasium* Astigitanz Ecclesiæ Episcopum, & *Gaudentii* successorem. Sub eodem *Reccaredo* Hispaniarum Rege anno DXCII. convocatum est Concilium *CesarAugustanum*, in quo tres conditi sunt Canones, qui modum, quo Episcopi, vel Presbyteri ab Ariana Hæresi ad Catholicam fidem revertentes recipi debent, præscribunt. Sub eodem Rege *Reccaredo*, & *Gregorii Magni* Pontificatu actum est anno DXCVII. Concilium *Toletanum* quartum, in quo duo conditi sunt Canones, & anno sequenti, seu DXCVIII. habitum est Concilium

cilium *Osense*, in quo duo itidem editi sunt Canones. Erat autem *Osca* in Tarraconensi Provincia Tarraconæ Metropoli subdita, quæ nunc habet Episcopum Casaraugustano suffraganeum, ut scribit *Garsias Loaisa* in notis ad Concilium *Lucense* sub Theodomiro Hispaniarum Rege congregatum. Denique, anno dxcix. habitum est sub sapienter laudato *Reccaredo* Hispaniarum Rege Concilium *Barcinonense*, in quo contra Simoniacos quatuor editi sunt Canones. Sed de Conciliis Nationalibus seu Provincialibus, quæ sexto Ecclesiæ sæculo in Occidente, præsertim in Gallis, & in Hispaniis celebrata sunt, sat superque hæc dictum sit.

D. Ex tot Conciliis Nationalibus, seu Provincialibus, quæ sexto sæculo in Gallis, & in Hispaniis habita sunt, facile intelligo, Galliarum, & Hispaniarum Antislites de Disciplina Ecclesiastica optime meritos esse, cum ad illam conservandam, vel restaurandam tam ardenti zelo flagaverint. Nunc quales eodem sæculo fuerint præcipuarum Ecclesiæ Sedium Antislites, vehementer scire peropto.

M. Hoc de argumento opportunius differemus in proximo, quod crastina luce habebimus, Colloquio; in quo continuam seriem Episcoporum, qui præcipuas Ecclesiæ Sedes, videlicet Romanam, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam & Constantinopolitanam sexto sæculo occuparunt, exhibebimus.

COLLOQUIUM IV.

De Successione Episcoporum, qui sexto sæculo præcipuas Ecclesiæ Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam & Constantinopolitanam occuparunt.

D. Seriem Episcoporum, qui quinto Ecclesiæ sæculo Sedem Romanam tenuerunt, terminasti jam, si bene memini, in *Symmacho*, qui, sicut observasti in Colloquio tertio in Historiam quinti Ecclesiæ sæculi, ordinatus fuit Pontifex Romanus die vigesima secunda mensis Novembris anni ccccxcviii. De Schismate, quod *Laurentius* Archipresbyter Ecclesiæ S. Prædix in electione *Symmachi* excitavit, & de Conciliis, quæ ad extinguendum illud Schisma sub *Symmacho* Papa fuerunt Romæ celebrata, plura in præcedentibus nostris Colloquiis dixisti, quæ hic repetere supervacaneum omnino esset. Quapropter his, ne actum agamus, prætermittis; ostende primo, quo pacto *Symmachus* sese in Pontificatu gesserit, & quot annis Sedem Romanam tenuerit?

M. Sanctissime in suo Pontificatu sese gessit *Symmachus*, multisque virtutibus emicuit. Manichæos Apostolico zelo insectatus est, eosque Roma expulit. Captivos Christianos per Liguriam, Mediolanum, & per diversas Provincias dispersos pecuniis redemit. Episcopis Africanis in Sardinia exulibus vestes, aliaque id genus ad vitium necessaria singulis annis suppeditavit. Basilicas Sanctorum complures Romæ a fundamentis erexit, instauravit, amplificavit, exorna-

vit. *Anastasium* Imperatorem *Acacii* Episcopi olim Constantinopolitani memoriam, & Hæreticis Concilii Chalcedonensis hostibus communicantem atque aperte faventem excommunicavit. Antiqua Sedis Apostolicæ decreta, præsertim S. Leonis Papæ, circa jura Ecclesiarum Arelatenfis, & Viennensis, ad petitionem S. Cæsarii Episcopi Arelatenfis, qui Romam ad Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli limina venerat, observari iussit. Varia denique Ecclesiasticæ Disciplina sancivit Capita, quæ legi possunt in ejus Epistola ad Cæsarium Arelatensem Episcopum. Sedit *Symmachus* annos quindecim, menses septem, ut testantur *Ordericus*, *Luitprandus*, *Regino*, *Catalogus Vaticano-Palatinus*, & varii Codices MSS. obiit die decima nona mensis Julii anni dxxiv. ejusque nomen sacris Ecclesiæ Fastis adscriptum est xiv. Kalend. mensis Augusti.

D. Quem in Sede Romana successorem habuit *Symmachus*?

M. Mortuo *Symmacho*, cessavit Pontificatus dies septem, sicut scribit *Anastasius* Bibliothecarius, & die xxvii. mensis Julii anni dxxiv. *Symmacho* successit *Hormisdas*, qui anno sexto Pontificatus sui, seu anno dxxix. Ecclesiam Orientalem, propter damnationem *Acacii* Episcopi Constantinopolitani, ab Ecclesia Romana jam diu dissidentem, redintegrata pace, ad communionem, & unitatem tandem aliquando revocavit. Anno etiam nono sui Pontificatus, seu anno dxxxii. ingenti gaudio perfunctus est *Hormisdas* quod Africani Episcopi, quos *Trasamundus* Vandalorum Rex in Sardiniam relegaverat, ab *Hilderico* Tralamundi successore, ad natale solum, post annos exilii viginti septem, fuerint revocati, & ab ipsis in integrum restitutus Ecclesiæ Africanæ status. Tumultuantes in Oriente Monachos Scythas, tanquam superbos, perveraces, & contentiosus seditionibus pacem Ecclesiæ perturbantes, coarguit, & compescuit idem Summus Pontifex, sed tamen nunquam ex Cathedra damnavit hanc propositionem, quam prædicti Monachi acriter propugnabant: unus e *Trinitate crucifixus est*, immo hanc propositionem ne quidem examinare, nedum damnare voluit *Hormisdas*, utpote hanc disceptationem intempestivam judicans, & turbandæ potius Ecclesiæ, quam ædificandæ opportunam. Collapsam in Hispaniis Ecclesiasticam Disciplinam, scripta ad illius Ecclesiæ Episcopos Epistola, reformavit. Ab Episcopo *Possessore* consultus de Doctrina *Fausti* Episcopi Rejenfis circa Gratiam, respondit Romanus ille Pontifex avitæ doctrinæ tenax, doctrinam *Fausti* de Gratia non recipi ab Ecclesia, sed standum esse doctrinæ S. Augustini, & ex ejus libris hauriendam esse veram de Gratia Christi doctrinam. Sedit *Hormisdas* annos novem, & dies undecim, ut legitur in multis Catalogis, præsertim in duobus Pontificum Romanorum Catalogis, quos edidit doctissimus *Mabilionius* tom. III. veter. Analect. obiit die sexta mensis Augusti anni dxxxiii.

Post mortem *Hormisdæ* vacavit Sedes septem dies, ut scribit *Ordericus* lib. 2. & die decima tertia

tertia mensis Augusti anni dxxxiii. Joannes I. natione Etruscus ejus successor Pontifex Romanus ordinatus est. Is est, qui, sicut in præcedentibus Colloquiis jam observavimus, jussu *Theodorici* Italiæ Regis, Sectæ Ariani, Constantinopolim ire, & Legationem apud *Justinum* Imperatorem obire coactus est, ut eum a vexandis in Oriente Ariani deterreret. A *Justino* Imperatore perhonorifice quidem exceptus est *Joannes*, sed Constantinopoli redux, inhumaniter a *Theodorico* Rege habitus est, & in carcerem conjectus, ubi ærumnis confectus, Martyr occubuit die xxviii. Maji anno dxxxvi. Sedit igitur *Joannes* I. annos duos, menses novem, & dies sex, ut tam dies ordinationis, quam dies mortis ejus demonstrant. Duæ Epistolæ *Joanni* I. tribuuntur, quas tamen periti Critici supposititias esse arbitrantur. Prima est ad *omnes Italiae Episcopos* scripta. Sed illam genuinam non esse, ex eo maxime probatur, quod hæc Epistola data fingitur 111. Idus Junii, ad quem tamen diem *Joannes* Papa non pervenit, quippe qui mortuus est die xxviii. Maji. Dicitur etiam hæc Epistola data *Maximo*, & *Olybrio Consulibus*, qui tamen diversis annis consularum gesserunt. Altera Epistola, quæ *Joanni* Papæ tribuitur, directa est ad *Zachariam* Archiepiscopum. At illa, non secus ac prior, seu supposititia exploditur; tum quia data dicitur xv. Kalendas Novembris, *Maximo*, & *Olybrio Consulibus*, qui tamen, ut mox diximus, non simul, sed diversis annis consularum gesserunt; tum quia etiam hæc Epistola consarcinata est ex variis locis Epistolarum *Innocentii*, & *Zosimi*, *Symmachi* Summorum Pontificum, & *Ennodii* Episcopi Ticinensis, ut jam viris doctis fuit observatum.

Theodoricus Italiæ Rex post mortem *Joannis* I. Papæ jus eligendi Pontificis Romani sibi attribuit. Unde interjecto ab obitu *Joannis* Papæ Interpontificio LV. dierum, *Felicem* IV. Clero, Senatui, Populoque Romano proposuit. Diu quidem illi resistit Clerus, sed tandem vitandi Schismatis causa consensit, ut liquet ex *Athalarici* Italiæ Regis, qui *Theodorico* successit, Epistola ad Senatam scripta, quam recitat *Baronius* descriptam ex *Cassiodoro* lib. viii. Epist. xv. *Felix* itaque hujus nominis IV. Pontifex Romanus die xii. mensis Julii anni dxxxvi. ordinatus est, & præclaris virtutibus exornatus, atque sanctitate insignis Ecclesiam sapientissime rexit. Sedit, juxta accuratiorem doctissimi *Pagii* Chronologiam, annos quatuor, & menses sex, obitque xiv. Kalendas Octobris, seu die xiiii. mensis Septembris anni dxxx. Circumferuntur duæ *Felicis* IV. Epistolæ, quarum prima dicitur data Kalend. Martii, *Lampadio* & *Oreste* Coss. Altera xii. Kalend. Novembr. *Lampadio* & *Oreste* Coss. Verum utramque Epistolam ut supposititiam rejiciunt viri eruditi. Primo, quia ambæ continent phrasas posteriorum sæculorum, & sententias ex Epistolis Sancti *Gregorii* Magni excerptas, vel aliunde emendicatas. Secundo, quia *Felix* IV. in vivis non erat xii. Kalend. Novemb. qua tamen

Græf. Hist. Tom. II.

temporali nota inscribitur una ex illis Epistolis. Denique, si quis duas illas Epistolas contulerit cum genuina illa Epistola, quam *Felix* IV. ad *Cæsarium* Arelatensem Episcopum scripsit, de *Laicis ad Sacerdotium ante probationem non promovendis*, compertum ac exploratum habebit ex styli dissimilitudine hæc duas priores Epistolas *Felicis* IV. perperam vindicari. (a)

(a) „ *Agnellus* Ravennatensis sæculi IX. Scriptor in suo Pontificali Ravennatensi ad vitam „ S. Ecclesiæ Ravennatensis Episcopi affert integram Epistolam *Felicis* IV. Papæ ad eundem „ Ecclesiam, in qua plura sancuntur in optimum „ regimen ejusdem Ecclesiæ. Mandat enim in ea „ Pontifex promoveri ad ordinem Clericorum vitæ „ & conversationis probatæ viros; Clericos „ lentes dumtaxat, & denuntiatos vocandos esse „ ad Ordines altiores, nempe Presbyteri, & Diaconi; neve Presbyteri, vel Monachi patrocinium potentium efflagitent ad altiorum ordinem & locum obtinendum. Quarta portio dicitur „ tribuatur in Clericos omnes eos, quibus erogari „ vi est debitum. Demum districtè vetat, ne Clerici spectaculis intersint. Addit insuper Clericos prædia Ecclesiæ urbana, vel rustica conductas illa habeant sub justa pensionis æstimatione, ita tamen ut quod modis (commodis) „ suis solent accipere, ipsi teneant; quod superest „ Ecclesiasticis inferant compendii profuturum. „ Nonnulla etiam de Notariis edicit, ut in „ tegra fide instrumenta de rebus Ecclesiæ conficiant; ut præsto sint ea exhibere, cum res „ poposcerit. Si qui habent res ab Ecclesia conductas, nec eas tenent, ut egestati suæ provideant, reddant Ecclesiæ, nec retinere sibi audeant. Monasteria utriusque sexus ab Episcopo „ ordinentur &c.

Post mortem *Felicis* IV. vacavit Sedes dies tres, & *Bonifacius* II. patria Romanus consecratus est die vicesima prima mensis Septembris anni dxxx. De *Dioscori* Schismate adversus *Bonifacium* II. quod statim *Dioscori* morte extinctum, est legendus est *Baronius*, sicuti & de *Bonifacii* II. Epistola ad *Euladium* Alexandrinum Episcopum de reconciliatione Carthaginensis Ecclesiæ, quam supposititiam, & adulterinam esse ostendit Eminentissimus ille *Annalium* parens, non solum quia contexta est ex verbis Romanorum Pontificum S. Leonis, *Hormisdæ*, & S. *Gregorii* Magni, sed etiam quia illius Epistolæ consarcinator ineptissime fingit *Aurelium* Carthaginensem Episcopum, & cæteros Ecclesiæ Africanæ Antislites, adeoque & S. Augustinum, *Bonifacii* I. & *Cælestini* I. temporibus, instigante Diabolo, contra Ecclesiam Romanam insurrexisse, & eo ab hinc tempore Africanam Ecclesiam a Romanæ communionem fuisse divisam usque ad Pontificatum *Bonifacii* II. quod sane putidum mendacium esse, nemo est tantisper in Historia Ecclesiastica versatus, qui statim non videat. Quare jure merito prædictam *Bonifacii* II. Epistolam non solum *Card. Baronius*, sed omnes, quotquot sunt hujus ætatis viri eruditi, tanquam spuriam rejiciunt. Synodum *Arausicanam* II. in qua *Semipelagiani*

F 3

fuerunt